

ARTIC. III.

In quo genere causa Logica ad alias scientias concurrat?

Namquam sit aliquorum opinio logica ad alias scientias concurrere tanquam dirigentem; & veluti artem, ad cuius regulas respiciens Artifex operatur; nihilominus quia in hoc nullum disidium esse inter Auctores existimamus, sed omnes convenire debere logicam concurrere cum alijs scientijs efficien- tibus ideo nota dum primo quod, quia ab obiecto scientifico, & ab intellectu, ut à duabus causis partialibus unam totalem integrantibus, pari debeat scientia: sicut obiectum esse aptum pariendi scientiam; ita etiam intellectus in suo esse debet esse constitutus; ut possit tanquam causa scientifica, modo scientifico, ad eandem scientiam concurrere: quare cum ex se non sit in potentia proxima; ut possit esse talis causa partialis scientifica; indiget aliquo sibi addito, quo in tali esse causae constituitur: & tale additum est habitus logicae Artificialis; de quo quaerimus quomodo ad talem scientiam concurrat.

1. Nota.

2. Nota.

3. Nota.

generationis: sed solum disponit subiectum: ceterum quia agens principale utitur ista alteratione, subordinando illam ad generationem; dicitur alteratio concurrere ad generationem per subordinationem effectus ad effectum; quia effectus ille necessario praerequitur ad istum: & hoc modo in proposito philosophandum est; nam actus aliarum scientiarum tantum ab intellectu, & ab obiecto causantur: ceterum quia intellectus non potest scientificè agere: utitur instrumento scientifico ab habitu logicae producto; quod est effectus subordinatus effectui, & actus aliarum scientiarum. Pro quo vide Arculum sequentem.

Dicendum: logica concurrat efficienter instrumentaliter per subordinationem effectus ad effectum, ad acquisitionem aliarum scientiarum. Haec est doctrinae Scoticae conformis; & probatur: logica concurrat efficienter ad actus aliarum scientiarum: sed non concurrat, ut causa secunda cum prima: quia tunc omnes illi actus essent logicales: nec ut instrumentum, secundo modo acceptum: quia logica non est pars respectu intellectus: sed causa in suo genere adaequata: nec ut instrumentum, quarto modo, quia tale nullam auctoritatem habet: igitur concurrat efficienter instrumentaliter tertio modo. Maior, in qua est difficultas, probatur: intellectus cum alijs scientijs diffinit, & demonstrat ergo talis cognitio diffinitionis, & demonstrationis, qua cognoscit se diffinire, & demonstrare, debet ad aliqua causa produci: sed non produciatur à scientijs illis; quia illae tantum produciunt actus similes illis, à quibus fuerunt genitae, ergo necessario ab habitu logicae produciuntur.

Conclusio.

Conclusio.

ARTIC. V.

An logica concurrat ad alias scientias, ut Docens; vel ut Vtens?

Pro praecedentis Articuli pleniori intelligentia, movetur praesens difficultas: & quia si bene intelligatur nulla potest esse inter Doctores controuersia; ideo sine argumentis notandum: quod intellectus cum obiecto, seu cum habitu Metaphysicae, verbi gratia: dupliciter logica uti potest: vel construendo demonstrationem ex terminis praesentis, absque consideratione aliqua bonitatis, & naturae ipsius demonstrationis; & quia consideret se actualiter demonstrare, vel non demonstrare, vel utitur logica cognoscendo diffinitionem, quam pro medio assumit, esse legitimam diffinitionem in se; & cognoscendo naturam demonstrationis, diffinitionem syllogisticam, ac tandem sciendo se demonstrare: si primo modo logica utatur, tunc logica tantum habet applicare obiectum suum, & modum sciendi terminis propositis: verbi gratia apprehensis ab intellectu Metaphysici, his terminis: homo animal rationale: & risibile: & volens demonstrare hominem esse risibilem: simul cum habitu logicae componit ipsos hoc modo: animal rationale est risibile. Homo est animal rationale. Ergo homo est risibilis: ad quum demon-

Notandum.

demonstratiuam cognitionem; licet obiectum, & habitus Metaphysicae efficienter concurrant: quia Metaphysicus considerat quidditates Principiorum: ad modum tamen compositionis syllogisticae, & ad ordinem, & dispositionem terminorum, solum concurrat logica cum intellectu. & logica pro ut sic concurrere dicitur logica utens, id est applicans, & disponens terminos in forma praemissarum absque cognitione expressa talium praemissarum, & talis dispositionis: & secundum hunc modum, qui dicitur scientificus, concurrat logica ad alias scientias acquirendas per subordinationem effectus ad effectum.

Si vero intellectus utatur logica, secundo modo: tunc logica concurrat, ut Docens; & ita actus elicitus est formaliter actus logicae, & termini illi metaphysici pure materialiter se habent; & Metaphysicus resoluens conclusionem in principia, non ut Metaphysicus, sed ut Logicus resoluit: quod non accidit, quando logica concurrat, ut utens; nam tunc nulla elicitur cognitio circa modum sciendi: sed solum intellectus construit talem modum, qui est quidam effectus subordinatus, quo medio habitus Metaphysicae eliciat suos actus scientifico modo.

Dicendum: logica ad acquirendas alias scientias concurrat ut utens, est Docens in praesenti: & 4. Metaph. tex. 5. in fine: & probatur: logica, ex praecedentibus, ad acquisitionem aliarum scientiarum concurrat: non ut Docens: ergo ut utens: probatur minor: ut Docens tantum sistit in consideratione sui obiecti: ergo ut sic non concurrat ad alias scientias: ergo concurrat ut utens: patet antecedens, ut docens est vere speculativa: ergo, si cut quilibet scientia speculativa sistit in consideratione sui obiecti: quin, ut sic, altera ad alteram ordinetur: idem de logica; pro ut speculativa, & Docens est; dici debet. Alia argumenta pro hac conclusione roboranda videantur apud Magistrum Sanchez quaest. 3. proemialium.

ARTIC. VI.

An logica ut utens, concurrat ad sui acquisitionem in esse Docentis?

1. Argum.

Pro parte negativa sit primum argumentum: ad acquisitionem scientiae in esse perfecto requiritur logica, ut scias sciat se scire: Sed prima conclusio scita in logica est vere scientia: ergo ad sui acquisitionem requirit aliam priorem, qua sciat sciens eam in sua Principia resolvere: & de illa alia idem conficio argumentum: & sic de alijs usque in infinitum: donec concedatur aliquam conclusionem scientificam posse obtineri sine logica, contra superior determinata, & cum ante illam non sit logica utens, sequitur intentum.

Secundo, logica utens praesupponit formalitatem Docentis: ergo logica, ut utens, non potest concurrere ad illius acquisitionem: patet consequentia, quia posterius, ut posterius, non potest causare prius, ut prius.

Dicendum: logica, ut utens, non concurrat ad sui acquisitionem in esse docentis; haec debet esse communis: & probatur duplici argumento praefato; quorum vis sic in materia explicatur: nam cum logica sit quaedam dispositio instrumentalitatis ad scientias acquirendas, tantum hoc munus exercebit respectu aliarum scientiarum, non vero respectu sui ipsius; & ratio est: quia dispositio respectu alterius a se distincti debet attendi: non vero respectu sui ipsius; & cum logica, ut utens, sit talis dispositio, & haec ex necessitate praesupponat logicam Docentem, inde fit: ut ad hanc non possit concurrere: unde quando diximus supra: & optime probat primum argumentum; logicam esse simpliciter necessariam ad acquirendam quamcunque scientiam, etiam quoad primam conclusionem: ac per consequens esse etiam necessariam respectu sui ipsius: intelligendum est, respectu illius scientiae, cuius praemissae non continent virtualiter scientificam cognitionem demonstrandi, & resoluendi: qualis est omnis alia a logica; quia haec in prima sui conclusione, qua acquiritur, habet praemissas, quae continent virtualiter scientificum iudicium demonstrandi, & resoluendi; & ideo ipsa conclusio: pro ut in talibus praemissis continetur: est ratio dispositionis ad sui generationem extra tales praemissas: & haec est potissima ratio: quam desumpsit ex Araujo supra Art. 3. in fine. Quare relinquendus est dominus Tatarus, alias doctissimus, q. 1. proemial. dub. 2. asserens primam logicam conclusionem acquiri per logicam naturalem vsualem; nam si loquitur de eius acquisitione in esse perfecto, & scientifico, falsum est, ut iam vidimus.

Conclusio.

QUESTIO III.

An syllogismus sit obiectum logicae?



VERITUR de subiecto logicae; an sit syllogismus? quod non videtur: quia omnis scientia est per syllogismum: si ergo de syllogismo sit scientia: hoc erit per syllogismum, quod falsum est. Tum quia syllogismus, de quo quaerit scientia, est ignotus: syllogismus autem per quem habetur scientia est notus: nam per ignotum, nihil scitur. Tum quia quaero de syllogismo, per quem habetur scientia: aut de illo est scientia: aut non: si non: pari ratione de syllogismo in communi: quia quod scitur de communi scitur de quolibet

bet particulari si sic: ergo per alium syllogismum & sic erit procedere in infinitum in syllogismo ad habendum scientiam, quod est inconueniens: quia tunc nihil sciretur, infinitum enim est ignotum per Arist. 1. Post. igitur idem notum, & ignotum.

Text. 35.

Item: nihil est subiectum totius & partis: syllogismus autem est subiectum partis logica; scilicet libri Priorum: ergo, &c.

Item, syllogismus numquam fuit in sensu: ergo nec in intellectu, consequentia patet per Arist. in de sensu & sensato.

Ad oppositum: passiones syllogismi in logica principaliter de eo demonstratur, & de alijs propter ipsum: ergo, &c.

Dicitur: quod subiectum logica est conceptus formatus ab actu rationis: quia ille communis est omnibus in logica consideratis: nam cum actus rationis sit triplex: primus, scilicet, in diuisibilem intelligentiam: secundus: compositio, seu diuisio istorum simplicium, seu indiuisibilem: tertius est discursus formatus a noto ad ignotum. De conceptu formato a primo actu rationis est liber Prædicamentorum, qui est de incompleto. De conceptu formato a secundo actu est liber Perihemias, qui est de Enuntiatione. De conceptu formato per tertium actum est tota noua logica, quæ est de syllogismo, & de eius partibus subiectiuis.

Aliter ponitur: quod de secundis intentionibus applicatis primis: sicut dicit Boetius: quia illæ sunt communes omnibus in logica determinatis.

Tertio modo: ponitur, ens esse subiectum: quia per Arist. 4. Metaph. circa idem laborant Metaphysicus: Dialecticus: & Sophisticus, Metaphysicus autem laborat circa ens: igitur, &c.

Quarto modo: ponitur oratio: quia de ipsa, & eius partibus determinatur in veteri, & noua logica: cum sit genus enuntiationis: & ponitur etiam in definitione syllogismi 1. Priorum.

Quinto ponitur argumentatio: quia de eius speciebus, & eius partibus est totalis logica.

Sexto modo: ponitur syllogismus: quia omnia alia, quæ in logica considerantur propter ipsum considerantur.

Ad videndum autem quæ istarum positionum sit verior; norandum: quod tres sunt conditiones præcipuæ subiecti

in scientia: prima videlicet quod sit notum: quid est, & quia est: nam hæc duo, ut inquit Arist. 1. Posteriorum: oportet præsupponere de omni subiecto demonstrationis. Secunda est; quod per eius, quod quid est, demonstrantur in scientia passiones illius subiecti de eo. Tertia est: quod ad ipsum alia omnia in scientia determinata reducuntur; & propter ipsum considerentur: aliter enim ab eius unitate non esset unitas scientiæ.

Text. 2.

Dux primæ conditiones desunt tribus primis positionibus: quia nullius eorum subiectorum secundum rationem generalem: ut ponuntur subiecta; habetur definitio in logica: nec permittitur ut principium scientiæ; nec passio aliqua de eis demonstratur in generali: ergo quodlibet illorum est nimis commune subiectum. Etiam non differunt illæ tres positiones inter se: quod manifestum est de prima & secunda: de tertia autem probatur: quia aut ens reale est subiectum huius scientiæ: aut ens rationis. Si primo modo: ergo hæc scientia est realis: quod falsum est. Si secundo modo: aut ergo tantum de ente rationis, id est, considerato ab intellectu: aut de ente rationis, id est, causato a ratione. Si primo modo: sic ad huc poterit esse realis: nam nihil est subiectum alicuius scientiæ, nisi ut consideratum a ratione: quia non nisi ut est vniuersale: ergo oportet dare quod sit de ente causato a ratione, quod est idem cum alijs duabus.

Ad rationem quidem pro prima positione patet, argumentum non valere: quia arguitur ab insufficienti diuisione: & facit fallaciam consequentis: patet, quia desunt aliæ duæ conditiones subiecti.

Ad autoritatem Boetij dico: quod logica est de illis: sed illa non sunt primum subiectum, sed sunt communiora subiecto: sicut dicimus, quod omnis scientia est de ente: quia nulla est de non ente.

Ad rationem positionis tertiæ dico: quod laborant circa idem: non quod idem sit subiectum: sed quia in logica consideratur illud, per quod circa omnia conuenit laborare: nam circa multa laboratur in scientia, non tamē propter hoc quodlibet illorum est principale subiectum illius scientiæ.

Quarto, scilicet orationi, deficit secunda conditio, & tertia: & quod accipitur;

tur, & conuenit syllogismo: dico, quod conuenit nisi æquiuoce ei, & enuntiationi: & æquiuocum non est subiectum in scientia: quia non potest defini: sumitur enim in diuisione syllogismi pro argumentatione.

Quinto, scilicet argumentationi, desunt primæ: non enim ab Arist. usque definitur argumentatio in comuni, nec ponitur ei definitio, ut principium scientiæ: licet Boetius eam definiat in Topicis suis. Secundo etiam desit sibi, ut manifestum est secundum rationem generalem. Tertium etiam probatur: quia vel est æquiuocum: & tunc manifestum est, quod ab eius unitate non est unitas scientiæ, nec scientia vna: cum tunc non sit vniuersale scibile, nec vniuersale intelligibile: vel est analogum ad cetera subiecta: & tunc scientia non erit vna ab ipsa, sed ab unitate principalis, ad quod omnia alia attribuntur: & illud est syllogismus: sicut unitas Metaph. est ab unitate subiecti, ad quæ omnia alia entia attribuntur.

Cap. 1.

Dicendum ergo, quod subiectum primum, & proprium logica est syllogismus, habet enim primam conditionem, quia statim post determinationem de eius partibus in veteri logica, in primo Priorum præmittit eius definitionem: & secundam habet: quia in eodem, multas passiones de ipso ostendit per illam definitionem: ut modum, & figuram in illis de inesse, & in modalibus: & habere tres terminos in illo capite: quoniam igitur in illis figuris; per hoc, quod est ex necessitate accidere conclusionem, &c. & tertiā similiter habet: propter ipsum enim in veteri logica determinatur de eius partibus, integralibus scilicet, de incompleto, & enuntiatione: & de partibus subiectiuis in libris Topicorum, Priorum, & Posteriorum, & de alijs speciebus argumentationis: quia illa reducuntur ad ipsum, sicut imperfectum ad perfectum: & de syllogismo sophisticis: ut de priuatione eius: quia eiusdem est cognoscere habitum, & priuationem: sic ergo penes eius diuisionem, & attributa illi, patet diuisio logica.

Ad primam argumentum concedo; quod scientia est de syllogismo per syllogismum aliquem particularem: ad primam contra hoc, dico: quod syllogismus iste, per quem habetur scientia, notus est quoad veritatem præmissarum: quia sunt propositiones immediate illarum conclusionis, & quantum ad illationem conclusionis ex præmissis: quia illat. o est per se manifesta cum syllogismus perfectus sit: quia nullus indiget ad hoc, ut appareat necessarius 1. Priorum, id est ad hoc ut manifestum sit conclusionem sequi ex præmissis:

Capit. 1.

sed iste syllogismus, per quem habetur scientia, est ignotus quoad passionem illam, quæ demonstratur de syllogismo in comuni, secundum quod ipse syllogismus in comuni est ignotus: non enim queritur cognitio de syllogismo in comuni, nisi quoad passionem: & ita non est idem notum, & ignotum secundum idem.

Ad aliud contra hoc, dico: quod scientia est de syllogismo, per quem est scientia, & cum queritur, per quem syllogismus: dico quod per se ipsum: quia in quantum per ipsum ostenditur passio aliqua de comuni syllogismo, ostenditur de se ipso, in quantum est syllogismus: nec aliter est scientia de particulari.

Ad secundum principale argumentum dico: quod syllogismus, quoad proprietates formaliter ipsum consequentes est subiectum libri Priorum: est autem subiectum totius logicae quoad omnes passiones in se, vel in suis partibus integralibus, & subiectiuis, vel reducibilibus ad ipsum, nec oportet subiectum prædicari de omnibus in scientia consideratis: sed esse id propter quod alia considerantur: ut patet de subiectione naturalis scientiæ, quod est corpus mobile; ibi agitur de motu, & natura; quæ non sunt corpus mobile.

Vel potest dici: quod maior est falsa in scientijs, quando subiectum totius multa requirit determinari propter eius cognitionem: tunc enim de illis oportet in illa scientia considerare, & cum hoc de ipso subiecto: ergo aliqua pars scientiæ erit de illo subiecto secundum se proprie quod est subiectum totius: ita est hoc: ut patet de lib. Physic. respectu totius scientiæ naturalis.

Ad tertium dico: quod illa propositio Arist. nihil est in intellectu, quia prius fuerit in sensu: vera est de eo, quod est primum intelligibile; quod est, scilicet, quid quid est rei materialis: non autem de omnibus per se intelligibilibus quia multa per se intelliguntur, non quia speciem faciunt, in sensu, sed per reflexionem intellectus: & ita de syllogismo in plus enim est per se, quam primo; ut dicitur 1. Post. 1. Ithocles enim per se habet tres angulos; sed non primo.

Text. 2.

Summa textus.

In hac questione, in qua Doctor agit de logica per ordinem ad obiectum, primo, recitat textum circa ipsum obiectum opiniones: & ut appareat, quæ illa sit verior, & ab ipso amplectenda, tanquam logicus procedens, tres conditiones ad obiectum cuiuslibet scientiæ pertinentes, ex mente, & doctrina Aristotelis declarat: quibus enumeratis, ac declaratis, ex omnium, vel aliquarum defectu, quinque priores opiniones, per quinque conclusio

nes negatiuas rejicit; respondetque ad earum motiua, & fundamenta. Vltimam tandem sententiam amplectitur hanc affirmatiuam conclusio-

Conclusio. Dicendum: quod subiectum primum, & proprium logicæ est syllogismus: hanc probat ex eo, quod syllogismo conueniunt tres conditiones prædictæ. Tandem respondet ad argumenta, quæ in principio contra hanc sententiam appositæ: cæterum quia hæc Doctoris conclusio aliquibus non placet, imo acerrime à nonnullis impugnatur; ideo pro ea defendenda; & pro alijs, quæ logicæ per ordinem ad suum obiectum conueniunt, exponendis, & disputandis, non nullos circa hanc quæstionem Articulis venturabimus.

ARTIC. I.

An syllogismus sit adequatum logicæ obiectum?

SEX opiniones circa hunc Articulum refert Doctor in corpore quæstionis, & post ipsum alie inuenta sunt; quas breuiter recensere erit opus. Prima igitur sententia asserit obiectum logicæ esse ens reale, nempe triplex operatio intellectus vt dirigibilis est, vel ratio modi sciendi. Hanc tenent nonnulli Antiqui; & ex Modernis Suarez in Metaphys. disput. 1. sect. 4. & disput. 54. Murcia, Didaeus à Iesu; Hurtado; & alij Probatur primo, logica est habitus realis: ergo eius obiectum est aliud quid reale: patet consequentia; quia effectus realis non potest produci, nec specificari ab obiecto rationis.

Secundo, probatur operationes intellectus, vt dirigibiles, ad aliquam scientiam, per se pertinent: non ad aliam, nisi ad logicam: ergo logica respicit eas, tanquam obiectum proprium. Quid enim intendit logica, nisi actus intellectus dirigere, & ordinare: & talis ordinatio quid est, nisi ens reale? ergo, &c.

Secunda sententia asserit, sermonem verum esse logicæ subiectum: probatur: illud est subiectum in aliqua scientia, de quo principaliter agit in illa: huiusmodi est sermo verus: igitur. Minor ostenditur: tum à diffinitione ad diffinitum: nam logica est scientia, quæ docet verum à falso discernere. Tum etiam, quia per hoc distinguitur ab alijs scientijs, etiam à Rhetorica, & Grammatica. Ergo, &c.

Tertia sententia docet, obiectum logicæ esse Demonstrationem: ita Simplicius in prologo Prædicamentorum, Amonius ibidem. Alexander Ariminensis in prologo Priorum: probatur ex Aristotel. primo Priorum, vbi fatetur, suum intentum esse agere de Demonstratione.

Secundo, logica versatur circa modum sciendi sed modus sciendi tantum est Demonstratio: quia scire est rem per Demonstrationem cognoscere: ergo.

Tertio, quidquid in logica tractatur; ad Demonstrationem spectat: ergo Demonstratio est logicæ obiectum, probat antecedens: quia in Topicis, & Elenchis, sicut & in Demonstratiuis, fit Demonstratio, igitur, &c.

Quarta sententia asserit modum sciendi esse obiectum huius facultatis: hanc tenent multi ex nostris: Tazaretus quæst. 3. dubio primo, Philippus Fabrus, illustrissimus Cardinalis Sarnianus quæst. de obiecto logicæ, ex alijs Fonseca 2. Metaphys. capit. 3. quæst. 1. sect. 5. & multi alij, probatur primo autoritate Doctoris, qui in primo Priorum quæst. 2. aperte docet instrumentum sciendi esse obiectum adæquatum in tota logica, & non syllogismum: ergo ne sit contradictio in eius dictis: dicendum est, syllogismum esse obiectum principalitatis, & instrumentum sciendi esse obiectum adæquatum: & hoc modo satis fit Balduino Doctorem contradictionis arguenti.

Secundo, logica est scientia, quæ tradit modum sciendi: ergo modus sciendi est eius obiectum: patet consequentia: quia ideo denominatur scientia, quæ docet scire: quia eius obiectum est modus sciendi. Hæc sunt sententiæ, quæ ultra illas à Doctore relatas, inuenta sunt ad huic difficultati respondendum. Cæterum, quia illarum multæ conciliandæ sunt; alie negandæ; & vltima Doctoris defendenda, pro illius intelligentia.

Notandum primo ex Doct. lib. primo Priorum quæst. 2. quod hoc nomen subiectum est æquiuocum ad sex: ad propositum autem sumitur per ordinem ad rationem: quem admodum dicimus, quod in aliqua scientia rationali est vnum subiectum: vnde Aristot. primo Posterior. ait: quod scientia vna est vnius generis subiecti partes, & passionis eius considerans; & subiectum hoc modo sumptum, idem quod obiectum, seu materia circa quam, significat; & dicitur obiectum, quia actui, habitui, seu potentie obijcitur: dicitur subiectum; quia subijcitur prædicatis, scilicet passionibus; quæ de ipso demonstrantur: dicitur tandem materia circa quam; quia circa illud operatur scientia disputando; proprius tamen obiectum appellatur.

Secundo notandum: quod communiter triplex assignatur obiectum in qualibet scientia: prædicationis; attributionis; & principalitatis: prædicationis est, quod prædicatur de omnibus, quæ in tali scientia considerantur: attributionis est, ad quod omnia talia considerata attribuuntur, & reducuntur: principalitatis denique est illud, quod ratione perfectioris differentie suæ, participat perfectiori modo rationem obiecti communis, respectu cuius, & suorum inferiorum, dicitur obiectum principalitatis: exemplum horum patet in Metaphysica, in qua ens reale est obiectum prædicationis: substantia est obiectum attributionis: & Deus est obiectum principalitatis: & de his tribus obiectis etiam inquirimus in logica.

Tertio, notandum: quod licet Doct. 1. Repor- ratio-

tionu q. 1. & 1. Prior. q. 2. & in 1. Phys. q. 1. sex subiecti conditiones enumerauerit: ita implicite, quæ explicite; in presenti tamen explicite tres tantum enumerat; vt logicus procedens, & Aristotelis vestigia sequens. Prima est quod sit notum, quod est, & quia est: ex primo Post. tex. 2. id est, quod de ipso præsupponatur conceptus quidditatiuus, vel diffinitio; nam hæc à priori demonstrari nequit; licet bene à posteriori; vt docet Doctor quæst. 3. prologi; & in 3. dist. 14. quæst. 2. littera H. requiritur etiam: vt de subiecto præcognoscatur; quia est; hoc est; vt ei non implicet existere, vel in se, vel in suis partibus, seu fundamentis: nam aliter esset nihil.

Dices: vel per quid est, intelligitur quid nominis, vel quid rei: si primum: ergo etiam non ens est diffinibile, cum habeat quid nominis: & etiam secunda intentio, & conceptus formati ab actu rationis, quibus Doctor negat diffinitionem: si secundum: syllogismus non potest diffiniri proprie; quia proprie diffinitio est entis realis, ex Doctore in 4. dist. 1. quæst. 2.

Respondeo: quod licet communiter, quid est, per quid nominis explicetur: nihilominus per quid rei intelligi existimo, sumendo, qui rei, non proprie, & strictè; nam vt sic, tantum conuenit speciei infimæ: sed accipiendo, quid rei, large pro conceptu quidditatiuo, quem non habet non ens; & secunda intentio licet illum habeat; & ideo possit esse subiectum logicæ: non tamen est subiectum illud, de quo interrogat Doctor in presenti: quare diffinitio large conuenit entibus rationis.

Secunda, conditio est, vt per quid est, demonstrentur passionis de subiecto: & habetur primo Post. tex. 43. vbi dicitur: vna scientia vnius est obiecti habentis principia, & passionis.

Tertia, tandem conditio est; vt ad subiectum omnia alia in scientia considerata reducantur, & propter ipsum considerentur.

Pro qua conditione notandum quarto, quod omnia, quæ in logica tractantur tripliciter ad aliud ordinari, seu alteri attribui, dici possunt: vel vt inferiora suo superiori: vel vt partialia obiecta ad suum totale; & adæquati: vel vt partes respectu vnius totius vltimi, quod in logica intenditur: logica enim ad duo est adinuenta: ad deueniendum de notitia noti ad ignoti notitiam; & ad discernendum verum à falso; & hoc secundum præsupponit primum: nam nullus potest discernere verum à falso; nisi prius sciat discernere notum ab ignoto: vnde cum primum sit modus sciendi, qui est oratio alicuius ignoti manifestatiuus; & secundum sit syllogismus; inde fit vt diuisio, diffinitio, & argumentatio, & reliqua logicalia, considerentur in ordine ad modum sciendi in communi, & etiam ad syllogismum, in communi: primo modo considerantur tanquam obiecta partialia ad vnum totale non vltimatum, quod consistunt, & quod omnia in se continet, & ad æquas secundo modo considerantur velut partes aliquando, siue integrales, siue subiectiuæ, siue mediatæ, siue immediatæ; vel vt imperfectum ad perfectum; vel vt famula ad Dominum; ac tan-

dem omnia ordinantur ad illum; vt ad quoddam totum, ita vltimum, quod de se ad aliud vltimum non ordinatur; quia ipse est finis vltimus, & scopus omnium, quæ in logica pertractantur; diciturque propriissime obiectum attributionis: quia propriissime illi omnia attribuuntur, & in quo vltimate logica quiescit.

Vltimo notandum: quod syllogismus est duplex: alter communis, & de quo quæritur scientia; alter particularis, & per quem habetur scientia, syllogismus in communi abstrahit ab omni syllogismo particulari, & ab omni materia, modo, & figura etiam in particulari; licet non ab istis in communi: nam syllogismo in communi correspondet materia, modus, & figura etiam in communi: & syllogismus hoc modo sumptus sic in primo Priorum diffinitur: est oratio, in qua quibusdam positis, & concessis, necessario sequitur conclusio, per ea, quæ posita sunt: quæ quidem diffinitio est mediæ ad demonstrandas passionis de eo, quæ ad minus sunt tres, scilicet, quod fiat ex tribus terminis; quod ordinetur in modo, & figura; & quod habeat necessitatem illationis, id est; vt conclusio necessario inferatur ex præmissis.

Syllogismus, per quem habetur scientia tanquam per instrumentum, est vna pars subiectiuæ alterius partis subiectiuæ syllogismi in communi: quia est vnum indiuiduum Demonstrationis in communi, quæ immediate est vna pars syllogismi in communi: qui quidem syllogismus in particulari addit ad syllogismum in communi esse Demonstrationem, & singularem Demonstrationem formatam in modo, & figura singulari: quare Doctor in sententia sua tantum quærit de syllogismo in communi; quia de singularibus non datur scientia.

Dicendum primo, nullum ens reale potest poni obiectum logicæ: hæc est vtriusque scholæ communis: & probatur: tum quia de tali ente non egit Aristoteles in tota logica, nec eius diffinitionem tradidit: tum etiam: quia logica ab omnibus appellatur scientia rationalis, ergo eius obiectum debet esse aliquid rationis: tum denique: quia obiectum, quod logicæ tribuitur, est per se ab aliqua scientia considerabile, non ab alia, nisi à logica, ergo. Nec fundamentum oppositæ sententiæ, vt gerat ad primum Quæst. I. Art. 5. diximus.

Ad secundum, & ad omnia probantia operationes intellectus esse obiectum logicæ, resp. ipsas per accidens à logica considerari, tanquam ea, quibus intentionem modi sciendi tribuit: sicut enim logicus agit de secundis intentionibus applicatis primis: sic agit de secunda intentione modi sciendi applicata operationibus intellectus, quatenus à parte rei sunt dirigibiles sub forma modi sciendi, & certe, non magis istæ operationes pertinent ad logicam, quam natura humana; prout à secunda intentione speciei denominatur.

Dicendum secundo. Sermo verus non est obiectum in logica: patet: nam ideo logicus vtitur tali sermone; & ipse dicitur verus; quia est signum conceptus veri: ergo potius talis conceptus erit obiectum logicæ, quam sermo.

Vlt. Nota.

1. Conclus.

Ad Argument. 1. sententia.

2. Conclus. contra Nominales.

2. Sententia

2. Sententia

3. Sententia

4. Sententia

1. Nota.

4. Nota.

2. Nota.

3. Nota.